

## De velis Iudaicis.

De Iudaeis Claudiani poetae ope doceri quis facile speraverit? Contigerit tamen ei qui legerit attente eius in Eutropium invectivas. Eutropius eunuchus aulae regiae Byzantinae a prime probatus praepositus sacri cubiculi praetorioque praefectus ad ipsum consulatum provectus est. Hunc nuntium gravior morum aliquis postquam Romae accepit

Si talibus, inquit,  
 Creditur et nimis turgent mendacia monstris,  
 Iam testudo volat, profert iam cornua vultur,  
 Prona petunt retro fluvii iuga, Gadibus ortum  
 Carmani texere diem; iam frugibus aptum  
 Aequor et assuetum silvis delphina videbo,  
 Iam cocleis homines iunctos et quidquid inane  
 Nutrit Iudaicis quae pingitur India velis

(Eutrop. I 350—357). Vides itaque enumerari incredibilia compluria quae vera fient spadone consule. Inter quae tritissima sunt poetis Latinis illa de fluviis qui ad montes refluant, de aequore fruges ferente, delphinus silvis adpictus, similia. His ut aliquid novum et quasi cumulum poeta adderet, ultimo loco et *homines posuit cocleis iunctos* et *monstra reliqua qualia India nutriat quaeque picta cernantur in velis Iudaicis*. Neque enim ibi Indiam ipsam, sed inania, quae nutrit, picta esse dici patet.

Indica monstra quid sint sciet qui modo Solinum (52, 34 sqq.) vel qui ipsum Plinium adierit (ubi VIII 72 bene correctum est: *India unicornes* eqs.): scilicet generari apud Indos fertur et unicornis et monoceros (!), apud eosdem leucrocota, quae partes cervae habet, partes leonis, 'eale' illud, quod cornibus mobilibus utitur, cauda elephantis, apri maxillis, nec non fera quae audit mantichora, corpore leonis, facie hominis, dentium ordine triplici; alia non pauca. Iam vero ista omnia et ipsos illos cocleis affixos homines in velorum texturis depingi potuisse nullam dubitationem habet sane; Iudaeos depinxisse dubitarunt viri docti et inter incredibilia hoc maxime incredibile arbitrati sunt; quare iam is qui excerpta ex codice bono deperdito Leidensia confecit, coniecit scribendum potius esse *Niliacis velis*, pro spurio damnavit locum Koenigius.

Et ipsos quidem Palaestinos vel Samarites velis texendis operam dedisse argumenti tam portentosi eoque sic claruisse ut Claudianus praeconium eorum suscipere posset, ne ego quidem contendo. Neque hac in re sancto Paulo abutar τῷ σκηνοποιῷ (Actor. 18, 3), quam eius operam sunt qui de ciliciorum confectura interpretandam putarint. Scitur tamen imperatorum Romanorum maxime aetate vaga et exul gens Iudaeorum quam dispersa per mundum et urbes fuerit, atque, si spectas divitias et honores, ipsi Palaestinenses inter eos principatum vix tenebant. Ditissimi contra fuerunt et numerosissimi Iudaei Alexandrini. Res notas replico. Alexandri Magni temporibus cum Alexandria conderetur, magna statim Iudaeorum vicinorum caterva eo deportata est. Auxerunt numerum Ptolemaei reges posteriores eo usque ut circa tempora Tiberii deciens centena milia Iudaeorum in illis regionibus extitisse traditum sit (Philo in Flaccum II 6). Templum vel proseuchen sanctiorem et celebriorem quam Alexandriam praeter Hierosolyma nulla urbs habuit. Floruit ibi per saecula et superstitio et philosophia Iudaica, floruit etiam commercium. Cumque non solum duas urbis regiones occupassent, sed

per totam fere habitarent Iudaei et maritimam partem comprehenderent (Philo II 8) cumque concessa eis esset inter Graecos Aegyptiosque quasi ἰσονομία vel in multis rebus αὐτονομία, fere necesse fuit ut navigatorum vectum et venalium rerum exportationem ac mercaturam manibus tenerent, credi facile potest et ipsam rerum utilium in Aegypto fabricationem ab agilibus Iudaeis usurpatam et auctam esse, eiusque rei testis est Philo (l. l.) et de officinis eorum tradens et de tota negotiatione; quaestum enim faciebant ex artibus quas exercebant opifex, nauta, agricola. Quin etiam templum Palaestinense ut exornaretur, arcessitos esse artifices Iudaicos Alexandrinos auctores eius gentis sunt Ioma et Erachin<sup>1</sup>. Quam potentes sua in urbe esse perrelexerint ostendunt seditiones et pugnae tales qualis fuit imperante Traiano<sup>2</sup> vel quam ipsius Theodosii et Honorii temporibus instituit Cyrillus Alexandriae episcopus, qua plurimi Iudaei ex urbe expulsi sunt (Socrat. 7, 15). Denique quin ibi mercaturae magnam partem etiam per saecula posteriora obtinuerint Iudaei, dubitari non potest.

Velim itaque etiam vela illa Iudaica, quae quasi omnibus nota Claudianus, natione Alexandrinus, statione Italicus, suis versibus intexuit, texta esse ab hisce hominibus tibi persuadeas aut certe transvehi solita esse Romam. Iam enim ad gravissimum et priscum auctorem provoco. Plautus comoediarum scriptor in Pseudulo fere ducentis annis a. Chr. n. edita v. 147 *tapetia Alexandrina* commemorat eaque tapetia esse addit *conchuliata* necnon et *beluata*. Percipis, ni fallor, hoc loco inspecto in Alexandrinis istis tapetiis descriptos re vera fuisse si minus homines conchuliatos vel 'cocleis iunctos' (conferenda enim est *vestis conchylata* apud Plin. IX 138, sim.), at beluas certe portentosas vel tales quae admirationi fuerint Romanae plebeculae. Videtur conclusionem; fit enim veri simile vela a Iudaeis Alexandrinis iam Plauti aetate fabricata vel venum ire solita esse eamque ibi mercaturam floruisse per annorum millenorum plus quam dimidium, a maximo inde Scipionum usque ad magnum Theodosium.

---

<sup>1</sup> cf. Graetzi hist. Iudaeorum III<sup>3</sup> p. 28.

<sup>2</sup> cf Mommsemi hist. Rom. V p. 543.